

IN FESTO SS. PHILIPPI ET JACOBI.

EVANGELIUM. JOANN. XIV.

In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis: Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum et in me credite. In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Si quominus, dixissem vobis: Quia vado parare vobis locum. Et si abiero et præparavero vobis locum; iterum veniam et accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis. Et quo ego vado, scitis, et viam quo scitis. Dixit ei Thomas: Domine, nescimus quo vadis; et quomodo possumus viam scire? Dixit ei Jesus: Ego sum via, et veritas, et vita; nemo venit ad Patrem nisi per me. Si cognovissetis me, et Patrem meum cognovissetis: et amodo cognoscetis eum, et vidistis eum. Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis. Dicit ei Jesus: Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem. Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem? Non credis quia ego in Patre et Pater in me est? Verba, quæ ego loquor vobis, a meipso non loquor, Pater autem in me manens, ipse facit opera: non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado. Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio.

CONCIONES.

- I. Vernal tempus quorum nos admoneat.
- II. Tristitiæ malæ causæ et remedia.
- III. Dei attributa quomodo in Christo elucescant.
- IV. Quomodo Christus nobis via, veritas et vita.
- V. Argumenta fidei catholicæ majora nunc quam olim.
- VI. Quæ bona sint in cælo.
- VII. Documenta evangelii.
- VIII. Mystera.

CONCIO I.

VERNUM TEMPUS QUORUM NOS ADMONEAT.

- I. Nosse Deum. — II. Nosmetipsos. — III. Gaudere in Christo et cum Christo. — IV. Operari. — V. Credere resurrectionem mortuorum. — VI. Sperare verum illud futuræ felicitatis. — VII. Amare cœlestia et contemnere terrena.

THEMA.

Quomodo possumus viam scire? Joan. XIV.

Magni momenti quæstio est: Quomodo possumus viam scire, ad cælum videlicet et visionem

CONCIONES AUCTARIÆ.

- I. Quomodo Philippi, hoc est, equorum amatores, et quorum esse debeamus.
- II. Vernal tempus Deum qui nobis ostendat.
- III. A floribus arborum documenta.
- IV. In templo observanda.
- V. Beatitudo cœlestis quomodo regnum, civitas, domus, cubile, paradus.

Dei? Cui respondet apostolus, Rom. I. *Invisibilia Dei, a creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Nam ut dicebat S. Antonius: *Mundus est quidam magnus liber, in quo legere possumus qualis et quantus sit Deus, imo et qua ratione ad eum sit veniendum.* Ejus libri folia videntur esse quinque. Primum est, cælum cum sideribus suis: alterum, ignis elementaris: tertium, aer cum volatilibus incolis suis: quartum, aqua cum suis piscibus, et quæ in ipsa degunt: ultimum, terra cum animantibus, quæ in ea gradiuntur, cum plantis, lapidibus, etc. Verum liber iste per hiemem magna ex parte clausus est, in

vere et circa hodiernum diem, maii scilicet initium, apertus et explicatus cernitur; unde mensis immediate præcedens, dictus est aprilis, quasi aperilis, quia terram aperit, et quæ in ea latebant bona explicat, mundique decorem ostentare incipit. Quare cum hic liber mundi omnibus nobis scriptus, et propositus sit, inspiciemus illum hodie.

I. Ex verno tempore, discimus nosse Deum ejusque attributa. Primo, potentiam, qua terram, plantas, et alias pene emortua vivificat velut in primæva mundi creatione, et multiplicat non minus mirabiliter, quam cum Christus e paucis panibus fecerit plurimos, et hoc ex vi primi illius verbi, quo creavit omnia.

Secundo, sapientia qua tot plantarum, florum, fructuum species et varietatis pulcherrimo producit ordine ita ut singulis mensibus, imo septimanis novi prodeant flores, novi fructus, novæ fruges, ad hominum et animantium conservacionem ac solatium.

Tertio, bonitatem, qua solum propter nos hæc tanta et tam mira facit, mundique faciem renovat et recreat quodammodo. Propter nos enim terram, et quæ ex ea prodeunt plantæ, germinant: propter nos aves cantant et nidificant: propter nos ad pastum exeunt pecora: propter nos ascendit sol a meridie versus septentrionem, eoque suo ascensu fert nobis æstatem et diei incrementum.

Quarto, providentiam, qua vestit ac nutrit omnia, flores et herbas vestit variis coloribus, arbores et terram floribus ac fructibus, fovet calore, nutrit imbribus: hominibus et animantibus porro quæ generantur annis singulis, novam quotannis annonam parat, et quasi in penus et cellaria eorum recondit, ut habeant ad vescendum.

Quinto, pulchritudinem. Si enim tam decora sunt in vere prata, silvæ, horti, flores, tam suaves avium cantus, etc. qualis erit ipse Deus, qui omnium creaturarum pulchritudinem eminenter in se continet, et magis magisque decora in infinitum facere potest?

II. Discimus nosse nosmetipsos, quid simus in hac vita, id nimirum quod clamare jussus est Isai. cap. XL. *Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri*: nam primo, sicut flores cito pereunt, alii serius, alii citius, ita vita nostra. Unde Psal. LXXXIX. *anni vitæ humanæ cum fœno extingui dicuntur: Mane sicut herba transeat (Hebr. transibit) mane floreat ut transeat: vespere decidat, induret et arescat.* Sic enim homo in juventute floret, sed mox transit et dicitur in virili ætate, induratur in senectute, arescit in morte. Et quam

cito flos demetitur, vel a sole exurit, vel pedibus proteritur, tam cito homo exinguitur. Carduus scilicet e spinis pulchrum emittit florem, qui tamen mox canescit, et cum aura perit, Pierius, l. LV. hierogly. *Talis est vita nostra. Secundo: Quæ spectatissime florent, celerrime marcescunt,* inquit Plin. l. XXI. c. I. ita fere homines, quia forma, genere, sapientia spectatissimi sunt, minimum durare solent.

Tertio, quemadmodum ex arboribus ordinariæ major pars florum et frugum ante maturitatem decidit: ita major hominum pars moritur ætate immatura.

Quarto, ut arbores aliæ aliis succedunt in flore, sic homines. Hodie floret unus, cras cadit, et floret alius, etc.

« Nascuntur homines, vivunt, moriuntur, et aliis morientibus, alii nascuntur. Quid tenetur? Quid hic non decurrit? Quid non quasi de pluvia collectum in mare? In abyssum? » inquit S. Augustinus, in Psalm. CIX.

Quinto, ut quædam quidem florent, fructum tamen non afferunt: aliæ non florent, fructum tamen afferunt: aliæ nec florent, nec fructum ferunt; ita hominum aliqui in flore juventutis promittunt frugem multam, qui tamen postea reversi, nullam ferunt: alii contra ab initio reprobi, postea ad frugem se recipiunt: plerique tamen quales se præstant in flore juventutis, tales et in senectute sunt.

III. Discimus gaudere in Christo, et cum Christo, siquidem hoc veris tempore omnia se ad lætitiæ explicant et effundunt, prata ridet, volucres cantant, sol nitet, pecora saltant, arbores decore vestiuntur, etc. unde quidam serenitatem veris, risum Jovis appellavit. Similiter hoc paschali tempore potissimum hortatur nos Ecclesia ad lætitiæ spiritualem? Hinc enim toties ingeminat et extollit *Alleluia*: hinc ad orandum stare solet toto eo tempore: hinc vexilla explicat et in cantica lætitiæ prorumpit. Monet enim filios suos.

Primo, ut gaudeant cum Christo, qui post asperam passionis hiemem, per suam resurrectionem transit ad veram perpetuæ felicitatis. Quare si membra sumus capitis nostri, sicut in hieme passionis cum ipso tristati fuimus; sic decet, ut cum eodem in vere resurrectionis jactemur. Recesserat a nobis in hieme passionis sol justitiæ Christus, nunc iterum ad nos rediit, quando surrexit.

Secundo, in Christo, quod videlicet cum eo et ipsi resurrexerimus, corporaliter in spe, et spiritualiter in re, cum a sepulchro peccatorum et inferni extracti, restituti sumus in lucem filiorum Dei

et ver lætitiæ spiritualis. Ante istud ver, quasi hiems fuit in nostra conscientia. Omnia illic tristitia, frigida, clausa, horrida erant. Nunc Deo reconciliati lætamur, ardemus, libere et secure vivimus. Gaudent nunc creaturæ, quia propius aspicuntur et foventur sole, qui per hiemem longe ab illis aberat. Ita gaudeamus et nos, quia nunc a Christo aliter aspicimur et fovemur, quam in hiemali statu peccati, juxta id apost. ad Eph. II. *Vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi*, i. e. propinqui Christi per gratiam ejus, et hæc est illa lætitiæ secundum faciem sanctorum, quæ fuit in Hebræis, devicto Holoferne, Jud. XVI. et consistit non in commensationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudiciis, sed in sancta conversatione.

IV. Discimus operari, siquidem nunc animantia omnia prodeunt ad laborem. Apes et formicæ prodeunt ad opus, volucres ad cantum et nidorum structuras, agricolæ ad laborem, reges ad bella. Taceo arbores et terram, quæ omnis generis flores, herbas, fruges progignere non desunt. Et quem tot exempla laborantium undique creaturarum non excitent ab labore? Non avocent ab otio. Ad laborem inquam, non corporalem tantum, sed et spiritualem, qui consistit in lucro vitæ æternæ. Ad hunc enim provocavit sponsus animam fidem, Cant. II. cum ait: *Surge propera amica mea, formosa mea, columba mea. Jam enim hiems transiit, imber abiit, et recessit. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit, vox turturis audita est in terra nostra. Ficus protulit grossos suos, vineæ florentes dederunt odorem suum.* Quis verbis adducit tres rationes ad bene operandum. Prima, quia jam amici Dei facti sumus per gratiam, columbæ per puritatem, formosi per sanctam communionem, qua Christum induimus: decet igitur ut tales simus, et ut bene operemur, dum amici Dei sumus, seu in statu gratiæ, extra quem mereri non licet.

Secunda, quia hiems transiit, imber abiit, id est, impedimenta progrediendi in via virtutum, uti absentia gratiæ, conscientia remorsus, dæmonis infestatio, etc.

Tertia, quia flores protulimus bonorum propositorum, putavimus vitem cordis nostri ab illicitis desideriis, odiis, inimiciis, rapinis, etc. Vocem turturis edidimus per compunctionem: protulimus grossos nostros, dum injuncta satisfactionis opera implevimus: dedimus odorem vineæ cordis nostri, dum vitæ nostræ immutatione proximos afflare, et ædificare concepimus ita ut mirentur conversationem nostram præsentem a priore illa tam discrepantem.

V. Discimus credere resurrectionem mortuorum: siquidem in vere videntur omnia resurgere, quæ prius mortua erant. Quis non juraret vitem in hieme lignum esse mortuum, nec nisi ad ignem aptum? Et tamen ea verno tempore iterum animatur. Idem de ficu dicas, quæ radicibus evulsa in autumno, sepelitur hieme, rursum tamen eruta nunc revirescit. Gramina resecta nonne iterum crescunt? Arbores aridæ et nudæ rursum humectantur, et vestiuntur. Flores contabescunt et iterum resurgunt. Semina in terram jacta et ibidem mortua ac nivibus obruta germinant in segetes. Hunc in modum corpora defunctorum, quæ in terram projiciuntur, in illo communis resurrectionis vere iterum germinabunt et vestiuntur suis coloribus, quos promeruerunt. Quando ergo Deus abripit nobis amicos, vel etiam nos ipsos ad mortem, scire debemus nihil ab eo aliud agi, quam seminari corpus mortale. Sic enim scribit apostolus, I. Cor. XV. *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.* Hinc cœmeteria vocamus agros Dei: et propterea voluit Christus in horto sepeliri, ob certitudinem resurrectionis. S. August. serm. XIV. de verbis Domini ait: « Videmus certe hiemis tempore vel adventu arbores spoliari pomis, nudari foliis: sed eas etiam verno tempore speciem resurrectionis exprimere: quæ primo quidem incipiunt turgere in gemmis, tunc ornari floribus, vestiri et foliis, et postmodum pomis gravari, etc. »

VI. Discimus sperare ver illud jucundissimum futuræ felicitatis, quam veri comparat Dominus, Matth. XXIV. cum ait: *Ab arbore ficu discite parabolam. Cum jam ramus ejus tener fuerit, et folia nata, scitis quia prope est æstas; ita et vos cum videritis hæc omnia (signa adventus Domini scilicet) scitote quia prope est in januis.* Modo in hoc sæculo degunt homines velut arbores in hieme, quando inter eas nulla aut exigua apparet differentia, humore et virtute earum intus latente: omnes nudæ sunt, invenustæ et spoliatæ: sed vernum tempus aperit, qualis unaquæque arbor sit, utilis an inutilis, nobilis an ignobilis. Ita in hoc sæculo modica apparet differentia inter bonos et malos; gratiæ enim humor in animabus intus latet, virtutes etiam suas boni occultare solent. Sed in vere illo fiet manifestum, qualis arbor quisque fuerit. Et quemadmodum ver, postquam diu et desideranter expectatum est, tandem aliquando venit: ita adventus Domini, licet videatur longissime abesse, suo tamen tempore aderit. Mors est instar aprilis, qui aperiet terram illam, aprilis, inquam, tempestuosus et dubius, sed per mortis difficultatem pervenitur ad veris illius amœnitatem.

VII. Discimus amare cœlestia bona, et contemnere terrena. Primo enim, si hoc mundi stabulum pro servis ædificatum a Deo adeo exornatur: qualis erit aula Dei, in qua ipse, et ejus aulici perpetuo versantur? Quales ibi sanctorum flores? Qualis angelorum cantus? Si hoc tabernaculum, quod modico tempore stabit, extractum pro peregrinis, postea comburendum in fine mundi, adeo decoratur, qualis erit domus habitantium in patria?

Secundo, si iste mundi ornatus tam mirus et amabilis sine commiseratione annis singulis demittitur, et in pulverem conteritur, quantus erit ille Rex cœlestis, quantæ ejus divitiæ, sapientia et gloria, qui hæc omnia pro nihilo, et quasi pro ludo habet, et per ludum veluti perdit?

Jam vero si ita nos afficit fragilis hic ornatus, ut multi eo abrepti ad insaniam usque diligant mundum, et curarum ac periculorum omnium obliviscantur: quanto magis oportet diligere bona solida et cœlestia? Dicunt impii apud Sapientem, Sap. II. *Non prætereant nos flos temporis: coronemus nos rosis antequam marcescant: nullum pratium sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* Quanto sanius dicerent: Non pertranseat nos flos beatæ æternitatis: coronemus nos rosis, quæ marcescere non possunt: transeamus ad pratium cœli, quod pertransiri nunquam potest?

CONCIO II.

TRISTITIÆ MALÆ CAUSÆ ET REMEDIA.

I. Quia non fit secundum voluntatem nostram. — II. Quia fit contra voluntatem. — III. Quia nimis æstimantur temporalia. — IV. Quia gravius mala apprehendimus. — V. Quia nostra sorte contenti non sumus. — VI. Quia immiscemur rebus alienis. — VII. Quia male agimus.

THEMA.

Non turbetur cor vestrum. Joan. XIV.

Eximium animi donum legavit ac commendavit Christus discipulis suis in ultima cœna: *Pacem relinquo vobis*, inquit, *pacem meam do vobis.* Atque ut scias hanc esse pacem cordis, civili et externa illa longe præstantiorem, addit: *Non quomodo mundus dat, ego do vobis:* et rursum: *Non turbetur cor vestrum.* Sed heu! cito perdidit hoc legatum, quando in passione Domini toti perturbati a Domino fugerunt, et se undique abdidit. Quare cum resurrexit Christus, iterum eis præcatur et dat hoc bonum, quando toties ait: *Pax vobis.* Atque ex hoc tempore non sunt amplius

perturbati, sed: *Ibant gaudentes, etc.* Nobis etiam, auditores, commendavit et legavit Christus pacem istam in hebdomada sancta, quando nos sibi reconciliavit, et conscientiam nostram pacavit. Sed quam cito rursus perturbamur, et perdimus hanc pacem? Idcirco hortatur nos Ecclesia hodie ad conservandam, vel reparandam cordis serenitatem: *Non turbetur cor vestrum.* Qui uti: *Non est oblectamentum super cordis gaudium,* Eccl. I. Macch. VI. ita nec dolor super cordis tristitiam, et perturbationem. Hujus itaque noxiæ tristitiæ radices intuebimur, et remedia apponemus.

I. Perturbantur aliqui, quia non quod fit volunt. Sic Achab cum ei negaretur vinea Naboth: *Projiciens se in lectulum, avertit faciem suam ad parietem et non comedit panem*, III. Reg. XXI. sic Antiochus cum audisset fugatum esse a Judæis exercitum suum: *Expavit et commotus est valde, et decidit in lectum, et incidit in languorem, præ tristitia, quia non factum est ei sicut cogitabat*, I. Macch. VI. Idem experiuntur quicumque inordinate appetunt honores, opes, voluptates et suamet voluntatem ad judicium. Qui tamen sibi ipsis adscribant perturbationis causam. Cur enim appetunt, quæ non licent? Cur quæ incerta sunt, tam certo sibi pollicentur et expectant? Cogitent itaque jure et salubriter negata sibi esse, quæ futura erant noxiæ, cultrum, quo se vulneraturi, serpentem, a quo necandi erant. Non laudarent patrem, qui petiit serpentem aut scorpionem filio abnegaret? Infantes sunt qui plorant, cum quævis postulata eis negantur.

Sed et viri boni ex hoc capite quandoque tristantur, cum vident suos bonos conatus et labores frustrari eventu sperato: ita apostolus ad Rom. IX. ob Judæorum incredulitatem ait: *Tristitia mihi magna est, et continuus dolor cordi meo.* Sic tristatur bonus pater aut rector, cum videt se operam perdere in educatione liberorum, in regimine subditorum: sed non turbetur cor vestrum plus quam decet (modicum enim mororem illorum non improbo). Nam primo, tempus forte perficiet, quod speratur: *Nulla cavat lapidem non vi, sed sæpe cadendo*, canit poeta: secundo, nihilominus mercedem habebitis suscepti laboris: *Unusquisque enim propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*, inquit apostolus, I. Cor. III. Non ait secundum fructum, quem fecit, quia fructus non est in nostra, sed Dei dantis incrementum, manu. Et quandoque majus obtinebit præmium, qui frustra, graviter tamen laborat, quia id majoris tædii et difficultatis est. Hac se cogitatione solabatur Salvianus Massiliensium episcopus: *Si hæc salus nostra*, ait in præfat. lib.

de providentia, sanavit quosam, fructus erit non parvus profuisse. Sin autem hoc contigerit, hoc saltem fructuosum erit, quod prodesse tentaverint. Ipse Christus non semper obtinuit, quod intendebat et querebat: siquidem Marci VI. propter incredulitatem Judæorum in patria sua non poterat signum facere.

II. Perturbantur alii vicissim, quia fiunt multa contra ipsorum voluntatem, infortunia, calamitates, deceptiones, orbitates, etc. a mundi vel fortunæ inconstantia profecta: sed hi advertere debent.

Primo, quam plurima in dies fieri contraria ipsi Deo, quæ tamen summam ejus tranquillitatem minime perturbant.

Secundo, prævidere hæc tamquam imminetia debent, et præcogitare, hæc talia vel debere suis peccatis vel ex naturæ imbecillitate, aut inconstantis mundi ingenio proficisci. Ita enim expectarentur, in dies varia incommoda, nec valde percellerent aut perturbarent animum. Hinc Seneca, ep. LXXVII. *Præcogitati mali*, inquit, *mollis ictus venit: unde sapiens assuescit futuris malis*, etc. Plutarchus, lib. de tranquillitate animi refert Ulyssen peregre reversum repentinæ morti canis illacrymasse, quem præsciverat male habentem. Itaque qui novit totum mundum in maligno positum, ut I. Joan. II. dicitur, nihil boni sibi ab eo pollicetur, et venientia mala facile tolerat. Ita Anaxagoras audita filii morte: *Sciebam*, inquit, *me eum genuisse moriturum*: ita qui opes, valetudinem, amicum perdit, simili modo se consoletur. Quid mirum si aliquando tandem frangatur vitrum? Si nix liquescat cito? Si domus tandem collabatur? Humana sunt ista, adeoque tolerabilia.

Tertio, cogitare quod tunc magna præbeatur tibi materia fortiter agendi, patientiam scilicet et magnitudinem animi exerendi. Unde Jacobi I. dicitur: *Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis*, etc.

III. Perturbantur alii, quia nimis magni æstimant bona vel mala temporalia. Hinc enim perpetuæ curæ et sollicitudines acquirendi et augendi: hinc continuæ lacrymæ et gemitus, cum bona illa perduntur: hinc metus futurorum. Sic lamentabatur Michas ob ablatum sibi idolum, Judic. VIII. nam cum suo sculptile omnia sibi ablata putabat. Et quid erat sculptile? Ita nimirum qui afficiuntur nimis erga temporalia, quanto quid exiguum perdunt, adeo lamentantur, ac si omnia perdidissent ipsique periissent. Sic tremunt et exanimantur pueri, cum excipi se vident sibilis anserum, et oves latratu catulorum. Proderit itaque moderari affectus erga res temporales, et cogitare in iis salutem nostram nequaquam esse

positam, sed potius impedimentum. Solent luseres dicere cum pecuniam vel quid simile perdidissent: Quid turn? Numquid fecit me ista pecunia? Non laudo hoc in luseribus: sed laudo, cum quid temporale perdimus absque culpa nostra. Quidquid enim perdamus, si Deum, qui nos fecit, et reficere fractos ac mortuos potest, retineamus, parum est.

IV. Perturbantur alii apprehensione vehementiore alicujus mali præsentis, præteriti aut futuri, uti belli, famis, penuriæ, etc. Sed imprimis hic sæpe inanis timor est, et velut larva, qua terrenatur pueri, ut ait Seneca, epist. XXIV. Potens est enim Deus mala bene vertere, idque ab eo sperandum, præsertim quantum ad ea spectat, quæ necessaria sunt vitæ et conservationi nostræ. Optimum ergo est confidere in Domino, et conjungi cum illo per charitatem, juxta Psal. CXXIV. *Qui confidunt in Domino sicut mons Sion*, videlicet erunt. Qua ratione? *Montes in circuitu ejus* (id est, montis Sion) *et Dominus in circuitu populi sui*. Et vero licet magna sit annonæ caritas, non est tamen cur inde perturbemur. Quia æque facile est Deo salvare, sive in paucis sive in multis: item sustentare nos miris modis, etiam ipso serpentum esu, lapidum, æris, etc. si vellet. Sic enim Deut. VIII. ait Moyses: *Afflixit te* (Deus) *penuria, et dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu et patres tui: ut ostenderet tibi quod non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Dei*. Deinde vanum est ante tempus excruciar, licet mala sint ventura: *Sufficit diei malitia sua*, inquit Dominus, Matth. VI. Nec avertere potest imminetent cladem nostra cogitatio, aut tristitia, sed nos ipsos conficit. Unde Eccl. XXX. dicitur: *Tristitiam non des animæ tuæ, et non affligas temetipsum in consilio tuo*. Denique, cum S. Athanasio, nubeculam esse hanc calamitatem, brevi duraturam: et meliora secutura sperandum est: *In die malorum*, ait Eccl. c. XI. *memor esto bonorum*. Si emersimus ex aliis miseriis, emergemus etiam ex hac. Sed de fama mea actum est, inquit, dicta et facta mea in deteriorem partem accipiuntur; sinistra de me sparguntur, et audiuntur hominum judicia. Sed imprimis sufficit probari sanioribus, sufficit probari Deo: *Ecce in celo testis meus*, ait Job, cap. XVI. Habuit et Christus suos contradictores, et Joannes Baptista, Matth. XI. *Venit enim Joannes*, ait Dominus, *non manducans, neque bibens, et dicunt: Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans et bibens, et dicunt: Ecce homo vorax et potator vini*. Neuter tamen remisit quidquam de mentis tranquillitate. Denique, quis omnibus omnino placere hominibus queat? An nescimus fabulam de asino, quem

pater et filius agebant ad mercatum vendituri si possent? Agebant illum primo vacuum ante se, reprehenderunt illud obvii, quod neuter illo veheretur, cum esset pater senecta, filius pueritia imbecillis. Probavit sententiam pater et filium asino imposuit. Mox iterum obviarunt, qui patrem reprehenderunt, quod ipse annis gravis, pedestri itinere se vexaret, filium labori et itineri non assuefaceret. Recte et hos monuisse pater ratus, filium præire jubet, ipse asinum inscendit. Sed non multum progressus, audit mox objurgatores, quod tenellos pedes exercent itinere, ipse suis callosis parcat. Ergo assidere post se filium jubet. Sed cum alii obvii iterum eum culparent, quod venditurus asinum, prius tanto pondere exanimare vellet, ad extremum asinum in pertica gestare cum filio cæpit, eoque facto multo maxime omnium se risui et reprehensioni exposuit, quasi mente captus esset. Itaque indignatione percitus, quod omnium judiciis taxaretur, asinum in vicinum flumen præcipitavit, et sic asinum dum sermonibus hominum moveretur, perdidit. Nimirum impassibile est, ita omnia sua componere, ut hominum cavillis obnoxia non sint.

V. Perturbantur alii, qui sua sorte contenti non sunt, et invident aliorum sorti meliori inhiantque semper, ut cum barones volunt fieri comites: nobiles barones: cives nobiles, etc. Horum cor perpetuis agitatur æstibus et fluctibus ad instar maris. Sic indoluit et illacrymatus est Alexander Magnus dicenti Anaxarcho plures esse mundos, eo quod necdum unius factus esset dominus, Plutarch. lib. de animi tranquill. Tales seipsos torquent et frustra quidem, nec enim per hoc ipsi feliciores, aut alii, quibus invident, fiunt miseriores. Incipiant ergo sua sorte contenti esse, et erunt quietiores. S. Egidius S. Francisci socius, beatum illum dicebat: « Qui amat et non desiderat amari: qui servit et servire sibi non cupit: qui se bene erga alios gerit non tamen eo fine, ut se erga illum vicissim bene gerant. »

VI. Perturbantur alii, quia se immiscent negotiis alienis. Si enim Martha, quæ solummodo satagebat domui suæ, audivit a Christo: *Martha, Martha sollicita es, et turbaris erga plurima*: quid audivisset, si curare etiam res alienas voluisset? Etenim qui nosse vel agere querit aliena, ad singula satis nequit attendere, nec ea, ut par est, expedire, et dum non expedit, confunditur, dejicitur, consternatur et invidiam patitur. Unde Paulus cum monuisset Thessalonicenses, I. Thessal. IV. *Rogamus vos fratres, operam detis, ut quieti sitis*, mox addidit: *Et ut negotium agatis*. Hæc enim radix est inquietudinis aliena negotia agere. Observandum etiam quod monet Seneca, in opusc.

de curiositate: « Qui inquirit, ait, quid in se dictum sit, qui malignos sermones, etiamsi secreto habiti sint, eruit, seipsum inquietat. »

VII. Quia mala egerunt, ita enim: *Jussit Deus ut peccatum sibi ipsi esset pœna*, ut ait S. Augustin. in confess. Speciatim vero et jure merito perturbantur ii, qui perturbant alios. Talis erat Ismael, de quo prædixit angelus: *Hic erit ferus homo: manus ejus contra omnes, et* (consequenter videlicet) *manus omnium contra eum*, Genes. XVI. multas feras non persequeremur, nisi ipse nocerent nobis et rebus nostris ut ursi, lupi, etc. Provocavit Amasias rex Juda, Joam regem Israel ad prælium temere: *Videamus nos*, id est pugnemus. Respondit Joas: *Contentus esto gloria tua, et sede in domo tua; quare provocas malum ut cadas tu, et ludas tecum?* Sed non acquievit Amasias. Venerunt ergo ad pugnam; sed Amasias captus et perductus est in Jerusalem suam, non jam ut rex, sed velut mancipium, et videre debuit muri dejectionem templique spoliationem, IV. Reg. XIV. Vixisset etiam Goliath, et quietus quidem, nisi temere provocasset phalanges Israelis: ita qui ad duella provocant, vel provocati prodeunt, quid nisi seipsos perturbant, et in plurimas curas et miseras conjiciunt: non ergo turbetur cor vestrum, etc.

CONCIO III.

DEI ATTRIBUTA QUOMODO IN CHRISTO ELUCESCAN.

I. Dei potentia. — II. Sapientia. — III. Bonitas naturalis. — IV. Sanctitas. — V. Benignitas. — VI. Providentia. — VII. Misericordia. — VIII. Justitia.

THEMA.

Philippe, qui videt me, videt et Patrem. Joan. XIV.

Multi quidem veterum philosophorum cognoverunt hominis felicitatem et summum bonum consistere in cognitione Dei tamquam objecti nobilissimi. Quia vero Deum per seipsum cognoscere non poterant, in id summis viribus incumbant, ut eum cognoscere per suas operationes, seu, per magna et mirabilia opera, quæ in mundo hoc cernebant. Verum, quia hæc via cognoscendi Deum longa nimis et anfractuosa erat ac difficilis, ad extremum Deus statuit eam facere brevior et planior, mittens Filium suum in mundum, qui cum esset imago Patris perfectissima, in humana natura et conversatione, perfectiones et excellentias æterni Patris nobis præsentaret. Hoc est, quod in hodierno evangelio respondet Dominus Philippo petenti videre Pa-